



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopvs Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput secundum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

nibus & pedibus, donec esset sub dio, ibique vouet martyri cereum suæ
A staturæ, itemque imaginem ceream. Eadem hora, vt in orantis fide ap-
 pareret martyris meritum, puer cœpit esse meliusculus, redit ad lectu-
 lum commodiùs, quàm indè exierat: ait patri, si adessent duo scipiones,
 videri sibi se posse ingredi, iam beati Engelberti meritis adiutum. Pa-
 rantur scipiones, puer graditur, mirantur omnes. Iam ante ductus fue-
 rat à patre suo Nouesium ad sanctum Quirinum, sed ille hanc curatio-
 nem in nouum martyrem reiecit. Postea venit puer Coloniam, inuisit
 sepulchrum martyris, obtulit quæ vouerat, post preces totus incolu-
 mis, scipionibus illic relictis, postredie ad nos reuersus est pedibus suis.
B Audiant hæc martyris obrectatores, qui aiunt: Si videremus ciues no-
 stros, quos nouimus diu malè habuisse, ab illo curari, crederemus ei.
 Sed illi vel non sunt digni curari ob fidei inopiam, vel eis non expedit
 vt curentur: aut certè qui sic dicunt, digni non sunt videre miracula
 martyris. Nec ipse Dei filius omnes Iudææ morbidos curare voluit: imò
 scriptum est de illo, quòd quibusdam locis non fecerit virtutes multas
 propter incredulitatem illorum. Porro in edendis miraculis, & fides pe-
 tentium, & sanctorum merita requiruntur: quanquàm non rarò Deus
 etiam ingratiss & indignis sua præstat beneficia.

Puer con-
 tractus,
 nuncupato
 voto fit sa-
 nus.

Matt. 13.

C Notatio ad Caput secundum.

§. Puer annorum quatuordecim.

PVERO isti in manuscriptis dicitur fuisse nomen Al-
 bertus.

§. Fili cum solus fueris.

D In manuscripto sic habetur. *Fili quando solus es in gramen do-
 mui contiguum quocunque modo venire satagas, ibique votum S. EN-
 GELBERTO facias, fortè vt cæteris sic & tibi succurreret, obediens
 filius patri manibus genibusq; reptando venit in gramen, in quo orans
 imaginem ceream & sua longitudinis candelam martyri vouit.*

§. Sed ille hanc curationem in nouum
 Martyrem reiecit.

Sancti se
inuicē ho-
norant.

S. Germa-
nus & S.
Martinus.

In manuscripto Casario ita legitur : *Sed noluit eum curare A*
Martyr probatus (QUIRINVS) nouo Martyri nostro ENGELBER-
TO gratiam curationis eius reseruans: ut in ijs etiam impleri videa-
tur, quod Apostolus de viatoribus dicit, honore inuicem prouenientes.]
hactenus msc.

Simili olim modo S. Germanum Episcopum Antifiodo-
rensem in miraculorum patracione S. Martino Turonensi
cessisse refert, c. 6. tractatus sui de reuersione B. Martini è Burgundia
B. Odilo Cluniacensis. Videat pius Lector in Bibliotheca Pa- B
trum c. 7. & apud Surium 11. Nouemb.

§. Postea venit puer Coloniam.

Ista msc. sic recenset. *Postea idem puer, sicut omnes testes eius*
sumus, cum quibusdam Monachis Nostris Coloniam nauigio ueniens,
sepulchrum Martyris adiit, que uouerat obtulit, ubi post orationem ple-
ne curatus, baculus super tumbam eius positus sequenti die pedes ad nos
redijt.

§. Digni non sunt videre miracula Mar- tyris.

In manuscripto adduntur hæc uerba ex cap. 13. *Matth.* Ge-
neratio praua & adultera signum quærit.

Caput Tertium.

De muliere, que ex gutture grauissimè laborabat curata.

Nota mi-
raculam.

MVLIER quædam prope Coloniam, periculose laborans ex guttu-
re, uenit ad martyris memoriam cum amicis : petijt subuculam
eius in aquam intingi, sperans, si indè biberet, se mox sanatum iri. Bibit
difficiliter admodum, redit domum, post horas quatuor ad sepulchrum
reuertitur, gratias agit Christo & Sancto Engelberto. Tantam ei mole-
stiam morbus ille attulerat, ut quinque diebus nec loqui, nec gusta-
re quicquam potuerit.

Notatio